A. D. 1925. Nrus VIII.

CURRENDA

DECRETUM

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI

BOGUMILO

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI
BEATO VEL SANCTO NUNCUPATO

BOGUMILUS cuius nomen, graece Theopilus, latine Amadeus, in tota Poloniae regione, praesertim in dioecesibus Wladislaviensi et Gnesnensi, ab immemoriali tempore cum fama sanctitatis et prodigiorum celebratur. E vetusta et clara Poraiorum stirpe progenitus, circa annum 1116 ortum duxit in villa haereditaria *Kozmin.* Parentes habuit Boguphalum Castellanum Gnesnensem, et Chatharinam e Griphytarum gente, qui in civili congruente statu, magisque in sancta religione christianisque moribus filios suos Boguphalum et Bogumilum instituere et educare sategerunt. Ambo fratres Gnesnam missi tunc principem Poloniae urbem, studiis sedulam operam dederunt sub sancto doctoque viro Othone, postea Bambergensi Episcopo. Deinceps Parisiis humanas divinasque litteras apud egregios magistros perceperunt, exemplum illud clarissimum intuentes et imitantes S. Bernardum Abbatem, Ordinis Cisterciensis fundatorem. Studiis absolutis, in patriam reversi, Boguphalus monasterium Cisterciense in *Leend* ingressus est; BOGUMILUS autem, amplissimae haereditatis dominus et administrator, prope pagum *Dobrow* Ecclesiam aedificavit Śsmmae Trinitati dicatam, quam etiam parochiali titulo et congrua dote, ecclesiastica auctoritate interveniente, honestavit. Interim BOGUMILI avunculus Janislaus, archiepiscopus Gnesnensis, noscens adolescentem optimis qualitatibus praeditum et ad statum clericalem magis inclinatum, ipsum adscivit in aulam suam *Unjejoviam,* ubi Dei Famulus cancellarii munere fungens, insimul studio et pietate ad sacros ordines se disponebat. Sacerdotio auctus et probatus, prius parochiae Dobroviensi praepositus est postea decanus ecclesiae cathedralis Gnesnensis ab ipso Archiepiscopo renuntiatus, eidem reservata cura praedictae parochiae, altero sacerdote coadiuvante. Utrumque officium ita conciliasse recteque peregisse perhibetur, ut singulis diebus festis, Dei Famulus, recitatis in choro praedictae cathedralis horis canonicis pedester pergeret in pagum

Dobrow qui ultra erat decimo et quinto milliario, ad Missam celebrandam suumque ministerium gerendum, sacrisque expletis, Gnesnam rediret ad communem mensam sui collegii. Prodigia quoque eo temporis spatio, aliquando patrata feruntur, BOGUMILUM nempe sicco pede Fluvium Vartam transire, similique, modo ad ulteriorem ripam et in Dobroviensem ecclesiam populum deducere, Fluvii pisces ad se vocare et pauperibus in cibum distribuere, atque superfluos benedicere ac in flumen immittere, arcana voce dicente: „Crescite et multiplicamini". Quibus omnibus perspectis nil mirum si, anno 1167, Archipraesule Ioanne vita functo, Capitulum Cathedrale ad successoris electionem legitime procedens, unanimi suffragio proclamaverit BOGUMILUM Archiepiscopum Gnesnensem. Qui tamen, re cognita, de se suisque viribus humiliter sentiens reluctavit, sed tandem omnium votis ab Alexandro Papa III probatis acquiescens et divinae voluntati obtemperans, oblatam dignitatem et onus pastorale suscepit. In Episcopum consecratus suaeque archidioeceseos capta possessione, quin de prioris vitae ratione ac studio, vigiliis, orationibus, ieiuniis remitteret, cuncta episcopalia munia egit omni cura, sollicitudine et vigiliantia adhibita in clerum et populum, *Boni Pastoris* verbo et exemplo istructus et sedulus imitator. Insuper e lauto et copioso suo patrimonio generosas tradidit largitiones piis operibus dioecesanis praesertim scholis erigendis in puerorum et adolescentium utilitatem, quae iuxta morem sacris aedibis proximae et continentes erant, earumque regimini et incremento salutaribus constitutionibus consuluit. De Cisterciensis Ordinis propagatione sollicitus ac beneficus ingentem e suis bonis destinavit portionem quam ad manus patris Boguphali Wongroviae voluit esse depositam eo fine, ut exinde ingens monasterium Cisterciense fundaretur et sustentaretur. Ex proventibus huius fundationis condita fuit Eremus *Coronoviae* (M. D. Posnanien.) an 1288. — Postquam per quinque annos Ecclesiam et archidioecesim suam sanctissime rexisset ac gubernasset, non absque matura deliberatione, precibus, consilio, instinctu afflatuque caelesti communita, exoptans reliquum vitae tempus impendere in bonorum caelestium contemplatione suique spiritus perfectione, petita et obtenta venia ab ipso Summo Pontifice Alexandro III, tunc Venetiis commorante, Archiepiscopatum abdicavit atque oneri pariter et honori cessit anno 1170. Tum a Camaldulensibus in Hungaria degentibus solitariam vitam ac regulas edoctus, Gnesnam rediit, et in solitudinem prope pagum *Dobrow* se recepit priscam vitae rationem repetens. Per decennium a recessu numquam exivit, nisi ad confessiones excipiendas et ad verbum Dei praedicandum, eo ferventius quo magis dulciora et uberiora gustabat in solitudine et dona caelestia et virtutum incrementa. Hoc exemplum non raro evenisse compertum est in aliquibus Dei Famulis sanctisque viris atque Episcopis, uti in S. Ioanne Silentiario qui Coloniensi in Armenia Episcopatu dimisso, in sancti Sabbae laura monasticam vitam duxit et sancto fine quievit. — Tandem solitarius BOGUMILUS, laboribus atque austeritatibus consumptus, lethali morbo correptus atque sacramentis Ecclesiae refectus obdormivit in Domino anno 1182, die 10 iunii. — In illa novissima hora traditio adhuc viget quod Beatissima Virgo Maria inter Poloniae sanctos Patronos apparuit Dei Famulo, ita ostendens suam benevolentiam, devotionis praemium, ac bonum omen ac pignus gloriae futurae. — In Ecclesia Dobroviensi exequiis rite celebratis atquae exuviis in ea honorifice conditis statim ingens populi multitudo sepulcrum adire coepit, validum patrocinium auxiliumque, in suis necessitatibus, intercedente BOGUMILO, a Deo impetratura, atque una cum hac frequentia et pietate christifidelium ad sacrum corpus, exortus dicitur cultus publicus Dei Famulo exhibitus. Quem cultum immemorialem ab anno 1182 in quo Dei Famulus obiit ad haec usque tempora constantem et perseverantem fidenti animo et per testimonia et do-

cumenta authentica comprobare actores agressi sunt. Inter plurima quae in tabulis processualibus Episcopalis Curiae Wladislaviensis recensentur, praecipua sunt: Vita S. BOGUMILI a Stephano Canonico Regulari ad Nicolaum Calisii in urbe, ex antiquissimis gravium auctorum chronicis excerpta, primum Varsaviae edita anno 1649, Romae deinde anno 1661, Acta Bollandiana ad mensem iunium; aliaque plura testimonia, documenta ac monumenta ex quibus omnibus colligitur et exhibetur cultus immemorialis praefati Servi Dei a sequentibus titulis: Nomen Beati vel Sancti. Imagines radiis et aureolis coronatae, reliquiae publicae venerationi propositae, elevatio corporis a Fulcone Gnesnensi Archiepiscopo, quinto post Sanctum BOGUMILUM qui sedis et Ecclesiae Gnesnensis, circa annum 1000 erectae, decimus quartus antistes numeratur, anno 1232 circiter peracta, eiusque translatio facta die 19 ianuarii anno 1668, ab Ecclesia Dobroviensi ad collegialem Unieioviensem, cura et decreto Nicolai de Prazmowski, Archiep. Gnesnensis ad maiorem cultum provehendum — insignia prodigia patrata, numerosae et frequentes peregrinationes, ad sepulcrum oblationes, dona et vota argentea, Festum cum Officio et Missa celebratum, demum nomem BOGOMILI in sacramentis baptismi et confirmationis administrandis impositum pueris et iuvenibus et relatum in libris parochialibus et in regestis episcopalibus. In ipsa urbe *Konin* propris sumptibus scholas pias Congregationis Calasanctianae fundavit parochus et decanus Koniscensis D. Bogumilus Kranicki, nomine et fundatione gloriosus et munificus. Itaque super huiusmodi cultu in dioecesi Wladislaviensi, in cuius finibus inveniuntur pagi Dobrow et Unieiow, Processus Ordinarius Informativus adornatus fuit annis 1903 et 1909 una cum subsequenti Rmmi Ordinarii sententia, atque ad sacram rituum Congregationem anno 1910 transmissus ac rite apertus, suspensionem subiit ob recentiora decreta die 11 novembris 1912 et 31 ianuarii 1913, tantum ex parte observata circa scripta perquisita et non reperta. Deinde Rmmi Archiepiscopi et Episcopi Poloniae enixe postularunt et per decretum S. R. C. die 11 augusti 1920, a Summo Pontifice Benedicto Papa XV fel. rec. obtinuerunt, ut attentis peculiaribus adiunctis et informationibus, in hac Causa procedi posset iuxta ordinem veteris iuris cum dispensatione ab integro novo ordine per recentiora decreta supra relata inducto. Quapropter, instante Rmo Dno Iosepho Trezzi, huius causae postulatore atque attentis votis et postulationibus RR. PP. DD. Archiepiscoporum et Episcoporum totiusque Nationis Poloniae, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Ianuarius Granito di Belmonte, Episcopus Albanensis, eiusdem Causae Ponens seu Relator in ordinariis sacrorum rituum congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coactis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia Rmi D. Iudicis ab Illmo ac Rmo Dno Episcopo Wladislaviensi delegati super cultu praefato Servo Dei ab immemorabili tempore exhibito, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII confirmanda sit in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Angelo Mariani, Fidei promotore generali, omnibus sedulo perpensis, rescribere consuerunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Die 19 maii 1925.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Pio PAPAE XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, die 27, eiusdem mense et anno.

† A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus*

(L. † S.) ALEXANDER VERDE, *S. R. C. Secretarius*

L. 4316.

Podatek majątkowy z majątków kościelnych.

Z całym naciskiem przypominamy końcowy ustęp Naszego rozporządzenia w tej sprawie, zawartego w Kurendzie II b. r., *iż nadwyżka pozostała po zapłaceniu tego podatku ma być równocześnie z kontraktem przesyłana do depozytów Kurji celem korzystnej lokaty.*

Od wykonania tego rozporządzenia zależeć będzie zatwierdzenie przez Nas kontraktu.

Konwersja papierów wartościowych.

1. W związku z rozporządzeniem, zawartem w Kurendzie IV ex 1925, zawiadamiamy, że za złożone w przepisanym czasie obligacje renty austrjackiej (Staatsschuldverschreibung), będą obecnie wydawały Kasy Skarbowe 5%-obligacje polskiej pożyczki konwersyjnej i to po kursie uprzywilejowanym: 15 Zł za 100 K.

2. Po otrzymaniu tych 5% papierów konwersyjnych, prześlą je P. T. XX. Proboszczowie do Kurji Biskupiej celem odpowiedniego zawinkulowania, poczem zwrócone będą XX. Proboszczom.

3. Ci XX. Proboszczowie, którzy nie przedłożyli renty austrjackiej do rejestracji — a następnie do konwersji, niech to bezzwłocznie uczynią i przedłożą obligacje Ministerstwu Skarbu z prośbą o uprzywilejowane przerachowanie. W razie, jeżeliby Ministerstwo Skarbu nie przychyliło się do prośby z powodu zaniedbania przepisanego terminu, XX. Proboszczowie będą musieli pokryć ekwiwalent za te papiery z własnych funduszów.

4. Obligacyj Kamery nadwornej nie należy jeszcze przedkładać. W miesiącu listopadzie mają mieć państwa sukcesyjne konferencję w Pradze, na której sprawa tych obligacyj będzie poruszona, a następnie odpowiednie zarządzenia wydane.

5. Obligacje galicyjskiej pożyczki krajowej mogą być przedkładane Izbie Skarbowej we Lwowie jeszcze do 1 października b. r. (Dz. U. Rzp. P. Nr. 91 ex 1925).

Ponieważ niektórzy XX. Proboszczowie nie nadesłali dotąd tych obligacyj do Kurji Biskupiej, niech to rychło uczynią.

Zmiany wśród Duchówieństwa

Instytuowany dn. 3 sierpnia na probostwo w Zawadzie ks. Władysław Kurek, administrator tamże.

Z KURJI BISKUPIEJ

W Tarnowie, dnia 15 września 1925

† LEON
Biskup

Ks. Roman Sitko
kanclerz

Nakładem Kleru Diecezjalnego — Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie